



Yale University Library Digital Collections

Title	Epistola dedicatoria
Rights	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement.
Generated	2021-02-19 09:19:44 UTC
Terms of Use	https://guides.library.yale.edu/about/policies/access
View in DL	https://collections.library.yale.edu/catalog/2010329

EPISTOLA DEDICATORIA.

tuo hoc quicquid est operis consecrare, quod inter alia totius nostræ gentis honorem tantopere attingit, quem solus & sustines, & tueris. Neque enim bellica virtus, nec scientia literarum, nec candor ingenij, nec morum cultus, neque vlla rerum potentia ad gentis alicuius gloriam tantum valet, quantum sermo; quo ista inter se aperiunt, & exteris produnt, & posteris commendant. Hac de causâ illustres viri Principes, Reges, Imperatores, de patrij sermonis cultu & nitore curam impensè suscepunt. *Iulius Cæsar* de vocum analogiâ scripsit ad *M. Tullium*. *Augustus* perinde scribendum censuit ac loquendum. *Tiberius* in Senatu verba facturum, nisi postulatâ prius veniâ, verbum peregrinum non pronunciauit. Et *Carolus* rebus gestis *Magnus*, maior virtutibus, maximis illis de re literariâ meritis hoc addidit; quod patrij sermonis Grammaticam scripsit, conatus regulis & præceptis cultiorem & elegantiozem, ad æmulationem Græcorum Romanorumque, linguam Teutonicam reddere, omniq; barbarie exuere. *Chilpericus* Rex Sueffionum literis Gallicis, quatuor à se inventas addidit; publicoque edicto eas recipi, in scholis

EPISTOLA DEDICATORIA.

lis doceri, & in scripturis exprimi mandauit. Atque vt exotica mittam, multosque in serie auorum tuorum, *Edwardus tertius*, regum sui temporis delibatus flos, quo nemo aut rebus gestis clarior extitit, aut prudentiâ illustrior, decreuit; Ne quis Gallicè, aut in causis cognoscendis, aut in iure dicundo loqueretur (consuetudine iam inde à *Wilhelmo Normano* introductâ) sed vt causarum cognitiones, sententiæ, & cætera acta, linguâ Anglicâ Latinæue conscriberentur. O si tanti principis curæ par populi amor respondisset! certè nec iuris consulti illa nomini Anglico iniusta seruitutis stigmata in hodiernum vsque diem ostentarent: nec ab alijs gentibus malè audiret (vt barbara) lingua Anglica, quâ nulla, audeo dicere nulla earum quæ nunc mortalibus in vsu sunt, aut cultior, aut ornatior, aut ad omnia animi sensa explicanda aptior, aut facundior inuenietur. Obrepserè (fateor) in scriptione culpæ innuenerat, quibus discentium studia impediuntur: sed repetitis vsque ab antiquitate, maiorum nostrorum characteribus, priorum temporum incuriâ intermissis; eas omnes ita restitui, vt quantumcunque rudis (perceptâ